

D. A. G.
DISSERTATIO ACADEMICA.
DE
CAUSSIS, CUR IN INVIDI-
AM ADDUCTA SIT META-
PHYSICA.

CUJUS
PARTEM PRIOREM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN
REG. ACAD. ABOËNS.

Publice Examinandam Sistunt

**JACOBUS JOHANNES
LAGERSTRÖM,**

Phil. Mag. Stipend. Segercrantz.

Et

JOHANNES MAGNUS LIMON,

Satacundenses.

IN AUDITORIO MAJORI, die X Martii an. MDCCCLXXXVII.

h. a. m. s.

A B O Æ , Typis FRENCKELIANIS.

Præfatio.

Multos admodum eruditorum usque adeo Metaphysicam esse pertæcos, ut non ipsi solum nauci præclararam habent scientiam, sed aliis etiam, probra, bona venia dixerim, frivola futilaque eidem impense ingerentes, odiosam reddere summo contentur studio, non pauci, nec illi sine causa queruli, gravissimas ultro citroque jactant querimonias. Atqui, ut mala prosperrimos idemtidem habent successus: ita deliramentis suis tantum Metaphysics fastidium litterarum cultoribus adferre valuerunt, ut ne vestibulum quidem scientiæ bujus utilissimæ & maxime necessariæ ingredi plerique, studiorum liberalium cæteroquin amantissimi peritissimique, opera pretium existiment. Sed arduum viresque meas exsuperans negotium, procacissimas conviciatorum criminaciones contundere præjudiciaque altissimis defixa radicibus imis eruere stirpibus, aliis conficiendum perlibenter relinquo. Mihi sufficiat, tironibus ad cogitationem rei maximi momenti suscipiendam excitandis, qualecumque impendisse operam. Vires ingenii sui in bac re pericitati sunt viri longe doctissimi, promeritamque esuo labore laudem reportarunt. Haud laboriosum itaque fuit opus, apertam tritamque calcare viam, attamen, præfiscini dixerim, fructuosissimum, in quantum nimirum, celebrioribus bujus argumenti libris aut vetustate oblitteratis, aut quacunque de caussa in occulto delitescentibus, finisram de Metaphysica opinionem si non perver-

versitati obnoxiam, certe ejusdem suspectam, reddere valuerit. Qua quidem in re si voti fieri compoti mibi contigerit: fore certissime spero, ut multarum opertarum rerum patefactioni hæc nocentissima non diu officiat sententia. Quod igitur hoc spe adductus & singulari in hanc scientiam amore commotus, hocce specimen, et si ne titulum quidem ejus ab omnibus serena fronte iri aspectum, odiosissimumque *Metaphysics* nomen bilem nonnullis esse motarum, non obscure prospexeram, edendi inverum consilium, præcepis immaturumque judicaturum, & quum rerum existimatorem spero neminem. Metum denique, ne eandem ac illi, qui auctorum nomina & librorum titulos cumulatim coacervantes, eruditionis opinionem saltem imperitis injicere allaborant, reprehensionem incurram, utilitas expeditissimi, quod aliorum verba transscribens confeci, negotioli mibi exemit. De reliquo TUAM, B. L. in hanc dissertationem, quam, viribus cum corporis tum animi gravissimo morbo debilitatis, elucubratus sum, mitiorem ac indulgentiorem fore animadversionem, TUA aequitate & humanitate fretus, pro certo mibi polliceor. Sed hæc bactenus.

§. I.

Nullam omnino scientiarum, quas dignas, quæ sua ex colantur polianturque industria atque diligentia, reputarunt Philosophi, aequi miras perpetuam esse vicissitudines, ac illam, quam *Metaphysics* nomine insignitam voluit antiquitas, Historia Litteraria apertissime commonstrat (a). Nam, ut, bre-

A 2

viter

(a) De veritate assertionis hujus vel mediocriter literato fidem faciunt, præter aliós, JAC. THOMASIUS *Hist. Metaphys.* REIMANN *Einführung in die Hist. Litter. derer Deutschen.* Vol. IV. quest. I - 52 STOLLIUS *Introductio in Hist. Litt. Part. II.* cap. 2. §. 52. ad fin. Qui quidem de odio huic disciplinæ, furtim quidem certe, concitando

viter tantum & in transcurso easdem attingentes, insolentia scientiae hujus incunabula relinquamus tacita, tam saepe ac tam multifariam incredibili hominum solertissimorum opera studioque transfigurata est atque transformata, ut ex disciplinae monstro (hoc enim, sibi quantumvis semper dissimile, diu permanxit) reliquarum scientiarum lumen decusque vel casu & fortuito non extitisse, jure mireris. Praeterea, maxima pars illorum, qui Metaphysicæ judices pretiique ejus aestimatores se se præbuerunt, ab aurea recedens mediocritate, in illa præ omnibus aliis scientiis laudanda vituperandave modum indigne transgressa est, ipsaque hac immoderatione æquitatem, judici tantopere demandatam, turpiter convulsit. Nota enim & apud omnes pervulgata res est, Metaphysicam & summis, ne dicam divinis, non suo quidem merito, ad cœlum elatam esse laudibus (b), & acerrimis, iisdemque haudquam promeritis, exagitatam conviciis (c): eamque prop-
te-

valde sunt solliciti; alii contra e. g. SCHMEIZEL (Versuch zu einer Historie der Gelehrtheit Cap. 5. Abs. 1. cap. 2. art. 1. & HOLLMAN-NUS Phil. Prim. Proleg. Metaph. a partium studio alienissimi.

(b). Sexenta hujusmodi encomia, si ad aliquem spectaret usum, recenserem. Sed sufficit pauca solummodo exempli causa afferre. TIMPLERUS divinam scientiam, & que inter omnes artes & disciplinas ceu Domina & Regina eminet, Metaphysicam appellavit (Syst. Method. Metaph. præfat.). Fuisse, qui Triados Mysterium e rationis principiis clarius & disinctius, quam e Scriptura S. demonstrari posse, Deumque velle lucem Spiritus S. in animis hominum, per divinas disciplinas Logicam & Metaphysicam, accendere statuerent, testatur LEICHNERUS, Apodict. Philos. Scholarum emendat. Conf. KECKER-MANNI præcogn. Logic. Tract. II. Cap. 5. Alios, qui scientiam hanc Solem cœli Philosophici, Deam, quæ sola caput habet, Principem, Præsidem, Judicem, Dictatricem, Aquilam, Loricam, munimentum reliquarum disciplinarum, bonumque Metaphysicnm Semideum vocitarunt, silentio prætereo.

(c) Exemplum allegemus libellum anonymum an. 1609. hoc titu-
lo, puerilem auctoris levitatem non obscure indicante, emissum:

terea ab aliis, tanquam agrum segetis feracissimum, enixissime, plerumque tamen perverse, exultam, aliis autem, velut squa-

A 3

Die Wohl-Chr-Würdige, Groß-Achtbare und Wohlgelehrte Metaphysica, oder über-Natur-Lyre, als die Königin aller Wissenschaften, oder Hoch-betraute Leib-Magd, oder kammer Jungfrau der Theologie Terminologia, allen Unlateinischen zur Verwunderung aus dem Lateinischen Grund-Text in unsre Hoch-Deutsche Frau Mutter Sprache übersezet &c. Inychitur auctor libri in Metaphysicam contumeliosissime. Dicit in præfatione: Da Gott die Physica gemacht, so hatte der Teuffel als Gottes affe, die Metaphysica erdacht; vocat eam Philosophiam θεολόγιαν, ein Teuffels-Werck, Grills fängerey, rechte Lügen-disciplin &c. Pertinent quoque hic P. RAMUS, qui ira, cum qua nihil considerate fieri potest, in Metaphysicam Scholasticam accensus vehementissima, impietatem omnium impietatum illam salutavit (Præf. ad. Schol. Metaph.); GU. AMESIUS, qui pestem ac perniciem juventutis eandem vocat: J. LANGIUS (Medic. mentis, Part. 2. t. 8. §. 3.) statuens, sublimen illam Metaphysicam seu cerebrosam, illam Ontologiam eundem habere locum & usum inter disciplinas Philosophicas, quem habet Crembalum inter instrumenta musica: REIMANNUS (l. c. vol. I. p. 165.) Metaphysicam tanto, reipublicæ litterarioræ, quanto artes præstigiosæ, v. g. Chironomia, reip. civili, fuisse usui judicans. Regem sapientissimum, **GUSTAVUM ADOLPHUM** inter osores Metaphysicæ numerat idem (L. c. vol. IV. pag. 106), dicens: Das ist gewis das, der König Gustavus Adolphus in Schweden ein edict promulgiret, in welchem er nicht alleiu die Metaphysicam zu dociren verboten, besondern auch zugleich befohlen, dass alle Exemplaria der Metaphysischen Schriften, die man in seine ditiones einzuführen sich erkühuen würde, solten confisciret seyn, sie möchten auch nahmen haben wie sie wolten. Idem de Dano quodam juvene & RUDRAUFFIO perhibet RYDELIUS (Disfert. Acad. de varia vicissitudine veraque indole Metaphysicæ), in cuius de hac re sententia ibidem lata acquiescimus. Sed innumeri fuere, qui eandem μωροποιίας, doctæ stultitiae, aliisque ejusmodi titulis decorarent. Quina vero has jam scurrilitates non solum satietatem caninæ hujus facundiae Letori parere, sed stomachum etiam illi movere arbitramur: pluribus accumulandis supersedemus. Quod si tamen quis plures sustineat iisque delectetur; penum earundem cummulate congestam reperiet in WENC.

lidum veretum, contentam desertamque fuisse (d): eandem denique profitentes celsissimo dignitatis fastigio illorum, ludibrio vero & cachinnatione horum suffragiis, dignos fuisse aestimatos (e). Nequit igitur esse obscurum, summas has dissensiones

non

SCHILLINGII Ecclesiae metaphysicæ visitatione (rigidissima illa quidem), pluribusque a **REIMANNO** & **SCHMEIZEL** indicatis locis.

Spectant hæc maledicta plurimum ad Metaphysicam dudum a Scholasticis incondite & monstrose adornatam; illorum vero sordibus jam majori ex parte auspicio abstensis, nonnullis quoque hujus doctrinæ capitibus non a rubigine solum penitus liberatis atque limatis, sed etiam ad nitorem perpolitis; atque scurrilis nihil feciis ac scenica conviciatorum etiamnum est dicacitas, præterquam quod hi, cum rationem dictorum suorum aut nullam exponere sciant, aut maiorem putidamque erubescant, quod olim aperte palamque factum est, argute atque secreto faciant. Et illud quidem, quod yaferrini hi Metaphysicæ hostes in eandem evomunt acerbatis virus, mortiferum quippe cuique nullum obviam venire potest antidotum, omni alio multis nominibus est pestilentius velociusque. Aperte igitur vel odise magis ingenuum est, quam fronde occultare sententiam.

(d) Vere **STRUVIUS** (B. G.), si vel ejus, vel nostrum spectas zyuu: Scriptores Metaphysici olim magna cura evolvabantur, nunc autem plerique sapis in Tabernis reperuntur, quam officiis librariis. Select. Biblioth. Philos. Cap. IV. §. 6.

(e) Vid supra not. (b) & (c). Dighi omnino sunt homines innati subtilitatum scientia, etiamsi vera philosophia sint maxime rudes, tumescentes, quos derideat *Genuina Philosophi spurii*, imprimis Metaphysici *imago*, penicillo philosophico adumbrata, cuius libelli hoc est initium: *Date viam, Philosophi, date viam, venit Metaphysicus*, qui *Reginam scientiarum crepat & tamen plerisque ignorantia laborat Abcedaria*. Habet principatum absque principio: nam primam didicit Sapientiam sine primo sapientiae fundamento, timore Domini: in transcendentalibus sibi caput, sed revera ante pedes desipit. vid. Hist. Biblioth. Fabricianæ. Part. V. §. 173. Qui autem viros exquisita doctrina ornatisimos una cum illis, ut sit plerumque, ludificantur atque calumniantur, ne illi in temeritatis inconsideratissimæ & impudentiæ quavis detestatione dignæ vitium turpissem incurvant. Nostra certe ætate in

non quidem plane nullam (*f*), attamen, cum ardor dissidentium modum plerunque excederet atque in maledictionem, quæ nihil habet propositi præter contumeliam, erumperet, perexiguam Metaphysicæ attulisse utilitatem; sed contra obstaculum profectui ejusdem objecisse superatu difficillimum (*g*). Jam dudum Metaphysics studio vulnus inflixere altissimum: recens illud novis ictibus diutissime conservarunt: nostro jam feculo, siquando vel punctum temporis ducendæ cicatricis nanciscitur, hanc vix nondum obductam tenerrimamque levi negotio refricant. Rei igitur adeo perniciose radices scrutari atque perquirere, inventasque circumfodere & evellere operæ omnino est pretium (*h*). Nos, ne ab instituto aberremus, solius invidiæ, qua premitur Metaphysica, stirpes perscrutemur.

§. II.

Hactenus de Metaphysica, vocis hujus vi nondum exempli-

maledicti propemodum & contumeliae loco ponitur, vocari Metaphysicum. Idem in Academia Lugdunensi & alibi Cocceji ævo factum fuisse, memorie prodidit Hulsius, citatus hoc nomine a BUCHERO, *Hist. Metaph.* §. 29.

(*f*) Dubium enim non est, quin eadem aliis ad rem controversam examinandam excitandis, & temeritati in assentiendo cohibendæ multum conduixerint.

(*g*) Quod de accusatorum atque calumniatorum utilitate noxisque in Rebuspublicis præcipiunt Politici, idem de oppugnatoribus errantium & recta via incidentium obtrectatoribus in scientiis valet.

(*h*) Bene KÖHLER (Discurs über das Licht der Natur §. 26.): Es ist sehr gut und nützlich den Grund und den Ursprung des Irrthums zu untersuchen; wodurch man zu einer Maxime gelangen kan, die uns zur Vermeidung vergleichlichen Unrichtigkeiten dienlich ist. &c.

plicata atque descripta, deferuimus (*a*); nunc leviter illam attingamus. Quem vero in hac definitione condenda mirum in modum omni ævo inter se disfederint atque discordarint Metaphysici: nos certe, si hac occasione confusionem hinc exortam discutere conaremur, in supervacanæ atque inanis operositatis vitium incurreremus. Quapropter non nisi enarrationem hujus dissensus, quippe qui fœditate sua, vel a limine hanc disciplinam salutantes offendat & non raro a studiis ejusdem ingrediendis absterreat, in verba conferamus paucissima (*b*). Eruditi plerique omnes partim scientiæ eorum, quæ enti attributa sunt, aut attribui possunt, quatenus ens est,

vel

(*a*) Facile hoc excusatum habebunt, qui laudatores atque vituperatores Metaphysicæ, de quibus §. præced. quæstionem instituimus, parum omnino de ambiguitate vocabuli hujus explicanda fuisse sollicitos, hominesque illiteratissimos, vi ejus plane non intellecta, haud raro loquaciter & confidentissime de eadem disputare, perpenderint.

(*b*) Si ulla unquam fuit res, quæ æternam concitare valeret discordiam, hæc certe fuit. Admodum namque pertinax exorta est concertatio, primo de genere (proprietate) in definitione Metaphysicæ ponenda, an videlicet illa apte dicatur aut scientia, aut sapientia, aut prudentia, aut intelligentia, aut ars, aut instrumentum & organon. (vid. WALLERIUS, *Syst. Metaph. Discurs. prælim.* §. 19. & BUCHERUS, *Phil. Prim. proleg.* pag. 11. 12.) Hæc tamen controversia jam omni prope modum ex parte obsoletuit. Minus aliquanto inepta & majoris etiam momenti, de significatione voculae *μετὰ* in titulo XIV. Librorum Metaph. Aristotelis, mota est controversia. (vid. BAUMESTERUS *Instit. Metaph. Prol.* §. 4.) Hinc enim, secundo, magna ex parte mirabilis & valde noxius Metaphysicorum, in *differentia Speciei* statuenda, adeoque in limitibus scientiæ hujus constituendis, effluxit dissensus. Alii enim Metaphysicam in eo, ut πᾶν τὸ γόντον perserueretur, alii in principiis verae cognitionis tradendis, alii in doctrina de ente, Deo & officiis hominis erga Deum, alii de ente & spiritu, alii de mundo, ut vulgo loquuntur, intellectuali, de cuius finibus aut dilatandis aut coarctandis nimium quantum dissident, proponenda, versari eam oportere existimarunt &c. sed nihil refert dis-

vel, si mavis, notionum universaliorum (*c*) (addunt plerumque, reliquis scientiis fundamenti loco præstruendarum) expositioni seu Ontologiæ Metaphylices nomen imposuerunt, partim Ontologiam, Cosmologiam (inde a Wolffii tempore) & Pneumaticen (*d*), generatim complexas, eodem denotarunt. Quam ipsam significationem, etiam minus aptam (*e*), usū tamen antiquo comprobatam, in titulo dissertationis hujus verbo Metaphysices attribuimus. Flocci ut plurimum hanc

am-

sensiones plures compilare, imprimis cum perfectam omnibusque numeris absolutam verbi Metaphysices historiam pertexens non dissertationculam, sed librum hād minusculum conficeret. Consulat, cū libitum fuerit, SCHEIBLERI *op. Metaph.* L. I. c. I. imprimis vero laudatam *Dissert. Doctissimi RYDELII*. Et hæc quidem lites nunquam forsitan dirimendæ studiosos Metaphysicæ in perturbationem tricasque conjiciunt & sinistram, quam pæne cum lacte nutricis fuxerunt, de inde Metaphysices opinionem efficiunt confirmationem. Mirum itaque non est, paucos in deliciis habere scientiam, cuius ne vestibulum quidem, utpote vepribus atque dumetis septum, sine multo sudore ingredi possunt.

(*c*). Consulto diximus universaliorum (non, quod vulgo faciunt, universalissimorum). Pars namque Metaphysicorum maxima, jure an injuria non querimus, assentiuntur GODOFREDO PLOUCQUET (*Elem. Phil. contemplat. Ontolog. §. 6.*), dicenti: *Cum primæ notiones & principia, quibus disciplinæ nituntur, maximi sint momenti, neque tamen eadem semper disciplinis suis præmittantur: per quam comoda ac utiliter fieri potest, ut ontologia complectatur & ea, quæ notionibus generalissimis sunt affinia.*

(*d*). Pneumatologiam illam salutamus scientiam, quæ spirituum naturam & proprietates perscrutatur, adeoque Psychologiam & Theologiam Naturalem suo complexu continet. Qui itaque Metaphysicam in Ontologiam, Pneumat. & Theol. Nat. partiuntur, aliam prorsus vim huic verbo attribuunt.

(*e*). Hoc enim paēto Metaphysica est scientia, verbis utor THUMIGII, entis, mundi in genere rerumque immaterialium, adeoque farrago rerum diversissimarum. Dispicet hæc nostra sententia, præter alias, Illustri ERNESTI (*Init. Doctr. Solid. Proleg. §. II.*), Neminem ta-

ambiguitatem fecerunt calumniatores, & quanquam Metaphysica, restrictive sic dicta, bilem iis speciatim moverat; attamen, cum latius nonnullorum arbitratu pateret odiosissimum metaphysics nomen: quicquid eodem indigitabatur, absque ullo discriminine, dente carpserunt maledicentissimo. Moderatores vero atque prudentiores, ut appellationis scientiae hujus valde inconstantem vagumque noverunt esse sensum: ita suam quoque de preio ejusdem sententiam discrete esse pronunciandam, aequum judicarunt.

§. III.

His generatim præstructis, causas, cur in invidiam adducta sit ONTOLOGIA, paucis rimabimur, ponderaque earum, quoad possumus nobisque licet, examinabimus.

Primum igitur potissimumque locum inter easdem suo jure obtinet incredibilis ac vesanus fere, plerorumque Metaphysicorum, maxime Scholasticorum, in hanc scientiam amor, venenatus ille fons infastumque caput malorum, quibus præclaram haud suapte culpa oppressam jacere dolemus scien-

tiam.
¶ V

men, Metaphysicen Aristotelis ab hodierna toto cœlo distare perpendentem, in suam facile perducit sententiam. Quatenus vero cum BUDDEO (*Elem. Phil. Instr. Part. IV. c. s. 5.*) aliisque nomen Metaphysics perperam Ontologie impositum esse contendit, eo libenter ei assentimur, quo magis perspectum habemus, perodiosum hoc nomen magnam ipsi scientiæ fecisse & facere invidiam. Sane explosio verbi hujus plus ad temerarias obterrationes atque invidias prosterendas obterendasque valeret, quam operosa earundem refutatio atque depulsio centum voluminibus comprehensa. Præterea, cum nomina, quibus commemorata insignita est scientia, abunde frappetant, etiamsi vocabulum Metaphysics e Philosophiæ exterminetur finibus; facile hoc carere potest orbis eruditibus.

tiam. Qui enim pro enormi Ontologiae dignitate, cæteris disciplinis posthabitatis, tanquam pro aris ac focis certarent, quin in eandem solertissime excolendam & subtilissime perpoliendam tota mente incumberent, facere non potuerunt. Idque tanto magis, quanto apertius suas haud feliciter defendi posse partes, nisi iis, quas eidem tribuerant, laudibus dignam illam præstarent, perspexere (*a*). Quandoquidem autem, scholaftico præfertim ævo, veræ eruditiois intellectum veræque elegantiae gustum non habuere: solidam doctrinam in fuitiles nugas, & genuinam venustatem in ornatum inepte ascitum monstruosamque deformitatem commutaran. Nam ut plurimum (dolenter hoc dicamus potius, quam contumeliose) in vanis, spinosissimis & maxima obscuritate involutis argutiis atque subtilitatibus aucupandis (*b*), molestis definiendi partendique spinis cumulatissime congerendis atque coacervandis (*c*), inanibus, perplexis acerrimisque altercationibus agitandis (*d*), & aliis hujusmodi intimis nugatoriisque rebus conquirendis atque perscrutandis, omnes nervos ætatis indu-

B

striæ-

(*a*) Multas tamen alias, easque longe gravissimas, rei hujus reddi posse rationes, rem diligentiori contemplatione expendenti ultro patet. Conf. FEDERI *Delin. Hist. Metaph. Institutionibus Log. & Metaph. subjuncta*, §. 5.

(*b*) Ut alia omittamus, satis est nominare questiones de principio individuationis, de radice futurationis, de principiis entium constitutivis, an ens sit univocum, irquivocum aut analogum inferioribus, & si sit analogum, an analogia attributionis, aut anal. proportionalitatis.

(*c*) Exempli loco sit distinctio unitatis, quam distribuunt in (*α*) *Exclusivam*, hanc vero in *absolute* sive *prægnanter*, & *limitate* talem. (*β*) *Logicam*. (*γ*) *Aritmeticam*. (*δ*) *Accidentalem*, quam denuo in *Moralem*, *Naturalem*, *Artificialem*, *Analogicam*, *Præternaturalem* & *Supernaturalem*, quam insuper in *Mysticam*, *Sacramentalem*, *Personalem* & *Gloriosam* dispescunt. Quæ tamen distinctio inter implicatissimas non est referenda.

(*d*) Vid. supra §. II, not. (*b*),

friæque suæ contenderunt. Et has quidem inæptias, Latio ne fando quidem auditas, aut inæcitæ tenebris coacti, aut judicii de pulcritudine perversitate seducti, tam horrida pro tulerunt oratione, ut etjam aurum, in fôrdido hoc nugarum barbarismorumque abditum barathro, exquisitu & erutu sit ærumnosum atque teterrium, utque jam eruto nec indiligen ter expurgato, aliqua tamen fœdæ, qua fuit squalidum, illuvie adhaereat cogitatio (e). In hac itaque perversissima docendi dicendique ratione fastigium eruditionis & summan exquisitæ doctrinæ gloriam sitam esse putantes, omnibus, quarum notitiam habuerunt, scientiis, consummatam perfectio nem summuinque splendorem illis conciliaturi, scita sua haud parca obtrusere manu. Quo infasto consilio factum est, ut tricis & apinis innumerabilibus ac vesanis contentionibus in quinaretur, atque iniquo difficultatum pondere premeretur omnis fere humana cognitio. Adeo mirabile Doctorum Angelicorum, Irrefragabilium, Auctoratorum fuit ingenium, a quo, tanquam ab exemplari optimo, pendere politiora non piguit tempora.

Tot igitur inæptis pâne anilibus nugisque odiosis obruta, & tot fôrdibus conspurcata Ontologia, hinc, utpote fœda atque humano generi pernicioſa, exquisitæ doctrinæ studiosis maxime displicuit, cauſamque dente Theonino (quo jure quaque injuria infra ostendemus) (f) fese rodendi con-

vi-

(e) Pertinent hue *Quidditates*, *hæcœtitates*, *entalitates*, *ubicationes*, *nuncœtitates*, *singulariationes*, *individuationes*, *aptitudinalitates*, *potentionabilitudinalitates*, aliæque ejusdem farinæ verborum monstra, ad crassas tenebras rebus clarissimis obducendas, siquando iis aliqua subfit sententia, aptissima. Cave tamen credas JOH. CARAMUELIS DE LOBKOWITZ *Sam.*, *Sem.*, *Sim.* -- *Samo*, *Semo*. -- *Amanditates*, *amaturitates* ceteraque deliramenta civitate fuisse donata.

(f) Sufficit hic monere, sâpe etiam esse sub fôrdido palliolo Sapientiam.

viciatoribus præbuit omnium speciosissimam, illinc a sui cultoribus, vehementissime est comprobata & summis laudibus adornata (g). Quæ quidem præconia, contumeliosissimis in hanc disciplinam ingestis probriis multis nominibus nocentiora, indignissime eidem esse tributa, ex allatis intellectu est facile. Minime igitur mirum cuiquam videri debet, amplissimam quam superiori ætate adepta erat Ontologia, dignitatem, insulasque in eandem cumulatissime congregatas laudes, fastidium sapientioribus, communi quamvis lenique fuerint animo, attulisse, hominesque quietissimos ac pacis concordiaæque studiofissimos, pestilentium, quibus maxima eruditorum pars tenebatur, errorum dispellendorum gratia, in litigiosam descendisse aciem (b). Sed vestigia invidiolæ persequamur.

Cum itaque ea mortalium plerumque sit perversitas, ut, præjudiciis imprimis occœcati, ne unguem quidem transversum de sua decadant sententia, sed obstinatissime in illa, quamvis refutata, permaneant, eamque pugnacissime defensitent, saepissime quoque accidat, ut e disceptatione altercationem faciat disputationis fervor (i), & omnia præter modum ad-

B 2

au-

(g) Exemplo sint laudes §. I. not. (b) recensitæ, Ontologizæ enim potissimum dicatae sunt.

(h) Qui tamen eundem omnibus laudum harum obtreptatoribus scopum fuisse præfixum existimat, sane is sua vehementer opinione fallitur. Nullo enim non tempore merus disputandi confutandique pruritus, ambitio, similitates &c. cum alias maximas acerrimasque civere rixas & contentiones, tum calumniatores Ontologizæ procrearunt plurimos.

(i) Cedro omnino digna est sapientissima HOLLMANNI (*Log. §. 522 seq.*) admonitio, nimis tamen longa, quæ hue transcribatur. Horribilis in hac re Scholastici ævi fuit cœcitas & dissentientes vexantries. Quamquam vero a verbis ad verbera perventum sit sepiissime; attamen non nisi unum commemoremus CARPENTARIUM, acerrimum RAMI, Philosophizæ Scholast. imprimis Metaphysicæ (Ontologizæ) infensissimi hostis, adversarium, "qui non hoc contentus erat, quod in

augeat exaggeretque affectus vehementia, imprudentes denique, quæ sunt invidiosa non mitigent extenuando, sed laudando & efferendo invidiosiora faciant (k): patet quid sit, quod controversantes, cæteroquin forte aequissimos, certe non malitiosos & ex industria iniquos rerum aestimatores, ad perverissimam de usu atque præstantia Ontologiae sententiam dicendam, eamque laudibus contumeliisve naufragiis moventibus prosequendam, saepenumero perpulerit quasi atque adegerit, & cur iidem, veritatis defensionem suo prætendentes consilio, haud raro non nisi dictorum suorum propugnatores adversariorumque calumniatores sese præbuerint acerrimos. En igitur maximum e scintilla excitatum incendium!

In hac itaque arena dimicantium qui antea Ontologiam e nimium alto, in quem temere posita erat, dignitatis gradu dimovere & in illum, quem promeruerat, collocare laudando consilio studuerant, iidem jam illam ne infimo quidem dignam aut, adversariorum de errore arguendorum, nonnunquam etiam opprobriis mordendorum desiderio aestuantes, *simulate* pronunciarunt, aut, odio demum ipsius rei controversæ conflagrantes, *ex animo* contenderunt. Fuit igitur non tam ipsa Ontologia, quam potius laudatorum ejusdem temeritas, quæ princeps reprehensorum nominatos ira incenderat; verum-

Collatione sua PLATONIS & ARISTOTELIS, plagam unam atque item alteram infixerat RAMO; sed eo quoque crudelitatis prolabebatur, ut per searios adversarium suum misere necandit, cadaver perfunditram in vicum præcipitandum per vias trahendum, atque a Studio his quisbusdam nates ejus virgis cædendas, Scholarum more, curaret." Vid. STOLLIUS l. c. §. 27. not. 6. Qui furor, quantam Ontologiam paraverit invidiam, & ipsius rei indoles & experientia aperte commonstrat.

(k) Omnes in universum affectus, totam attentionem in alteram solummodo partem convertentes, difficultates & maxime impeditas rei cuidam peragende obvenientes molestias vel imminuunt, vel prorsus oculunt & quæ sibi sunt impedimento, auctis quasi viribus & violento impetu, superare enituntur atque contendunt.

tamen cum s̄epissime accidat, “ut subsidia atque adjumenta, quae fini nobis proposito attingendo apta commodaque reperimus, ita mentis cogitationem occuperit, ut ipsum finem interea spectare nequeamus & denum ejusdem plane obliviscamur, illaque ipsa disloquentiam & averfationem nostram (ut e contrario delectationem & appetitum nostrum), scopi primarii cogitatione ita vel exterminata vel obscurata, ad se totam pertrahant, & consuetudine præterea accedente, metæ instar ultimæ, ad quam attingendam omnes conatus conferri debeant, animo sese nostro fstant” (*l*): odium in immoderatos laudum Ontologiæ præcones conceptum *de eorundem temeritate*, principali odii hujus caufa atque incitamento (fine), *in ipsam Ontologiam*, cuius infamandæ ope eadem reprehendatur (ad-minicula, vulgo media) furtim quasi & ipsis etiam obtrectatoribus nescientibus, adeoque invitis, malo *translatum* esse aūpicio, clarissime appareat. Accedit hoc majorum memoria viris exquisita doctrina, cauta cæteroquin circumſpectione insignique probitate ornatissimis, nostro adhuc ævo eadem imbecillitate obnoxiiſ: Accidet idem posteritati, que, quoisque utilitas pretiumque Ontologiæ in disceptatione vefabitur, easdem scientiæ hujus conqueretur vices. Quapropter & fallacissimis insistunt vestigiis, & valde fragile opinionis suæ constituunt firmamentum, qui laudatorum virorum auctoritatem tectis quasi oculis sequuntur, camque fluitatæ suæ præxunt (*m*).

(*l*) Non dissimulamus hæc fere ad verbum excerpta esse e præclarissima dissert. Acad. Praef. Cel. Prof. PORTHAN edita; *de oblatione & appetitu mentis de fine in media translato.*

(*m*) Cum in his sollicite enucleandis & planissime explicandis car-do hujus dissertationis vertatur: prætermittere non potuimus, quin aliquanto diffusius hæc exponeremus, & πρωτὸν Φεύδος hic latitans in lucem proferre eniteremur.

Perspectum igitur exploratumque habemus, plurimorum Ontologiae cultorum nimis ardentem in eandem amorem, nimiasque ab illo profectas laudes, odium multorum eidem conciliaffe, calumniatoribusque eandem conviciis atque sibilis consecrandi, occasionem præbuuisse oportunitissimam; stultitiae vero illorum poenas ipse scientiae esse irrogatas, atque acerbissime ab eadem repetitas, eo absurdius injuriolitusque facinus haud immerito existimari, quo plurimum pestilentiorumque, quibus immerito afficta est, malorum fontem hanc fuisse largissimum, pro certo habemus compertum (n)

De reliquo, displicantiam taediumque spurcæ illius Ontologiae, cuius supra expressissimus imaginem, eadem ac indagavimus via, in acerbum ipsius scientiae evatisse odium, vel nobis non monentibus patet. (n)

(n) Exoptandum itaque esset, ut suo damno tandem sapienti imprudentes, nec in propriis vinetis quam expeditissime eadendis omnes ingenii sui vires dementer profundant. Inclarescunt laude digna et nullum habeant prædicatorem. Neque disciplinæ ullius præstantiam laudum illi tributarum splendore, sed utilitatis ex eadem percipienda ubertate, metiuntur sapientes. Sed fac, Ontogiam, ut HOBBESIO placuit, esse emousum, num exquisitissimis ornata laudibus risum an amorem venerationemque excitat? Ejicias illam e numero scientiarum, & latissimum campum, in quo excurrere atque cognosci sua potest solertia, Metaphysico dabit Summi Numinis & animæ humanæ attenta consideratio.

(*) Imperiosa, quam nobis assert impensarum ratio, necessitate coacti median rei hujus expositionem hic abrumpimus.

Sequentia & alia nonnulla, quæ irreperserunt, errata typographica B. L. corrigat: P. 4. not. (c) l. 1. *anonomum* leg. *anonymum*. P. 5. l. ult. *cumulatæ* leg. *cumulate*. P. 6. l. 1. *veretpum* leg. *vepretum*. P. 8 l. 2 *Quem* leg. *Quam*. not. (b) l. 3 *difinitione* leg. *definitione*. P. 10 l. ult. *eruditibꝫ* leg. *eruditus*.